Scribere te factam non sibi certe timet
Sed tamen exspectat modo facta crepuscula
Ultima pars noctis primaque lucis erat
Ducimur Inachides magni sub tecta pelasgi
Et socer armatas accipit ipse nurus
Undique collucent precincte lampades auro
Dantur in invitos impia tura focos
Vulgus mei ymenea vocant fugit ille vocantes
Ipsa Iovis coniux fugit ab urbe sua
Ecce mero dubii comitum clamore frequentes
Flore novo madidas impediente comas
In tallamos leti tallamos sua busta feruntur
Strataque corporibus funere digna premunt
Iamque cibo somnoque graves vinoque iacebant
Securumque quies alta per argos erat
Circum me gemitus morientum audire videbar
Et tamen audieram quodque verebar erat
Sanguis abit mentemque calor corpusque relinquit
Inque novo iacui frigida facta thoro
Ut que leni zephiro graciles vibrantur ariste
Frigida populeas ut quatit aura chomas
Aut sic aut etiam tremui magis ipse iacebas
Queque tibi dederam vina soporis erant
Excussere metum violenta iussa parentis
Erigor et capio tella paterna manu
Non ego falsa loquar ter acutum sustulit ensem
Ter male sublato recidit ense manus
At rursus mortis iussu coacta parentis
Admovi iugulo tella paterna tuo
Set amor et pietas crudelibus obstitit ausis
Castaque mandatum dextra refugit opus
Purpureos laniata sinus laniata capillos

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1665/0070
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG